

SECUNDA PARS  
LIBRI SAPIENTIÆ,

IN QUÀ, POST ELOGIA ET PARANESIM SAPIENTIÆ, DEUS ORIGINEM OSTENDIT ESSE DEUM.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

**A**uctor in persona Salomonis docet id quod promisit in fine cap. præced., scilicet originem sapientiæ, modum quo eam assequendi per suum ipsius exemplum, qui licet rex fuerit, tamen quoad naturam, vitam et mortem plane alius hominibus sit similis, ut prævide, sicut ipse assecutus est sapientiam, sic cælitè homini eam assequi liceat. Igitur primo, narrat se editum in lucem vitam adeptum fragilem, miseram, abjectam, et morti obnoxiam, ideoque a Deo enixe postulasse et impetrasse cultum sapientiæ, ut per eam vitæ æternitatis maderetur. Inde secundo, vers. 11, asserit se per eam adeptum omnia bona, quæ et scientiam elementorum, colorum, stellarum, ventorum, plantarum, omniumque rerum naturalium, quæ sunt in orbe. Mox tertio, vers. 22, Sapientiæ dotes multiplices enumerat, ejusque originem assignat. Denique quarto, vers. 28, docet neminem a Deo diligi, nisi præditum sapentiâ, utpote quæ sole sit speciosior. Ex hisce enim notis colligendum relinquit quid sit homo per originem et naturam, quid vero per sapientiam et gratiam.

1. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro : 2. decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente. 3. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. 4. In involumentis nutritus sum, et curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatibus initium. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. 7. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ : 8. et præposui illam regnis et sedibus, et divitiis nihil esse duxi in comparatione illius. 9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, 12. et lætatus sum in omnibus : quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei, propter disciplinæ dona commendati. 15. Mihi autem dedit Deus discere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur : quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientiam emendator : 16. in manu enim illius, et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, 18. initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, 19. anni cursus, et stellarum dispositiones, 20. naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. 21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici, omnium enim artifex docuit me sapientia. 22. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, san-

ctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, 23. humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus : intelligibilis, mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera : et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. 26. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. 27. Et cum sit una, omnia potest : et in se permanens omnia innovat, et per rationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. 29. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.

1. SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO, SIMILIS OMNIBUS, ET EX GENERE TERRENI ILLIUS (HOMINIS) QUI PRIOR FACTUS EST, ET IN VENTRE MATRIS FIGURATUS SUM CARO. — Arabicus, *filius sum genitus ex homine terreno, primo creato*; Syrus, *filius sum primogeniti terre*. Sub carne, utpote potiori hominis parte, intellige sanguinem, ossa totumque hominem. Est synecdoche : caro monet hominem suæ infirmitatis, quid enim hominis carne infirmus, vilis, spurcius? Vis nosse teipsum, o homo? considera ærumnas, sordes, labores et dolores innumeros et assiduos carnis tuæ, et scies quis et qualis sis; hinc S. Joannes, cap. 1, vers. 14, ut ostenderet summam in Verbi incarnatione dignationem et demissionem, non dixit: *Verbum homo*; sed, *Verbum caro factum est*, id est homo carneus. Sensus est, *q. d.* Ego Salomon licet sim rex, tamen sum mortalis, et similis, græce *ἴσως*, id est *æqualis*, cæteris hominibus: sum enim filius Adæ et Evæ peccatorum, ad mortem cum tota progenie damnatorum, ideoque et ego in peccato originali conceptus, prius ad mortem damnatus, quam natus sum; atque perinde ut Adam, sum *ab eo* formatus *ex adam*, id est homo *ex humo*, terrenus *ex terra*; denique in ventre matris figuratus sum, græce, *ἐν μήτρῃ*, id est *sculptus sum*, caro, *q. d.* Mater nec potuit, nec seivit modum me formandi in utero, sed Deus velut artifex et sculptor ex infirmi vilique semine figuravit, imo sculptis me carnem, id est hominem carneum, suis membris, ossibus, nervis, musculis, venis, etc., mira arte distinctum, et instar imaginis suæ expictam, figuratum et exsculptum; unde, *Psal. cxxviii*, vers. 14: « Et substantia mea in inferis terræ; » hebraice est *רִכְכֵּנִי רִכְכֵּנִי* *ruckantî* (quod italicum, *remamato*), id est *acu pictus sum* in utero matris mee: *רִכְכֵּנִי* *rakem* enim est phrygiæ, qui variis acu pingit arte et opere phrygiotico. Pro qui prior factus est, græce est, *πρωγενέτης*, id est, qui primus ex luto factus formatusque : *ἄστρα* enim est instar figuli lutea vasa formo et fingo; videtur ergo Deus, primo, ex limo finxisse hominis statuum in omnia hominis membra distinctam, deinde eam in carnem humanam con-

vertisse, ac denique in eam animam infudisse, itaque fecisse hominem in animam viventem, ut scilicet esset animal vivens, ut dixi *Genes. ii, 7*; unde, *Esd. iv*, lib. iii, 8, dicitur: « Dedisti Adam corpus mortuum: sed et ipsum figmentum manuum tuarum erat, et insufflavi in eum spiritum vite, et factus est vivens coram te. »

Docet hic Salomon reges et quoslibet homines, ne se ob regiam dignitatem, opes, scientiam, ingenium, artes aliasve dotes extollant, ac dii quidam videri velint, uti voluere Alexander Magnus, Nabuchodonosor, Antiochus et alii; sed memores suæ originis et naturæ ad ærumnas et mortem damnate cristas demittant, ac instar pavonis non ocellatam suam caudam contemplantes intumescant, sed ferdos suos pedes intuentibus fastum ponant, ac similes se cæteris mortalibus agnoscant, Deoque officii suo humiliter se submittant, eumque colant et invocent: hæc enim est vera sapientia, scilicet nosse seipsum, et nosse Deum, ac dicere cum S. Francisco: « Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, potentie, virtutis, omnisque boni; ego abyssus nihil, ignorantie, infirmitatis, peccatorum, omnisque mali. »

Idem hoc monitum, teste S. Athanasio, dedit S. Antonius Constantino Magno ejusque filiis Constanti et Constantio litteras suas expoecentibus: « Reges sæculi, inquit, ad nos miserunt epistolas; quæ hic christianis adhibenda miratio est? licet enim diversa sit dignitas, atamen eodem nascendi moriendique condito est. *ἄστρα* sunt generatione omni pereclenda, *ἄστρα* facti animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripsit, quod per filium suum propriis Ecclesiis ditaverit eloquiis; » et post nonnulla: « Laudavit primum quod Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ne presentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, et iudicandos a Christo obliviscerentur. Ad postremum clementie circa subjectos et justitie, curæ quoque inopum admonuit, atque unum semper æternum esse regem omnium seculorum, Jesum Christum,

epistolis testatus est. His principes susceptis vehementissime letabantur. » Idem scripsit B. Petrus Damiani Agneti Auguste, lib. II, *epist.* 5; ac citans totum hunc Salomonis locum, ex eo ita concludit: « Erubescant ergo cordis elata superciliosa, et qui se considerat inter ortum et exitum communi cum ceteris nature lege constringi, desinat de sublimiori gloria singularitate jactari: » deinde Agnetem laudans, quod perspecta hac regum misera conditione, relictis imperii pompis post mortem Henrici II imperatoris mariti sui, appetita a viris principibus ad secundas nuptias, eas refutasset, atque ex Augusta facta esset sanctimonialis, eam hortatur ut in sancto instituto perseveret, et perseverantia pedem immobiliter figat: « Nam que dudum, inquit, terreni fueras tenor imperatoris, nunc per sancte professionis dotem sponsa facta es Redemptoris: sic igitur ei te in vera cordis humilitate subterne; sic illi glutino fervida charitatis unire, ut cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare, *Cantic.* III, 4: *Inveni quem diligiti anima mea: tenui eum, nec dimittam.* » Quin et Alexander Magnus, qui Jovis Hammonii filius, deusque credi volebat, vulneratus, ex vulnere se mortalem cognovit: « Omnes, inquit, jurant me Jovis esse filium, sed vulnus hoc hominem me esse clamat: » ita Plutarchus in *Apophtegm.*

2. DECEM MENSIVM TEMPORE COAGULATUS SUM IN SANGUINE (materno, matris enim semen rubrum est, ac potius sanguis videtur, quam semen, ut patet ex eius residuo sanguine menstruo) EX SEMINE HOMINIS (græce ἀνδρῆς, id est viri) ET DELECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE. — *Te decem mensium tempore magis pertinet ad figuratum sum caro, quam ad coagulatus sum: nam hæc coagulatio breviori fit tempore; figuratio vero et plena organizatio fit decem mensibus. Sub sanguine, non tantum semen femine sanguineum, quod cum semine viri potius habet rationem agentis, quam materia elaboranda; sed et verum sanguinem ab utroque semine attractum, et in prolem elaborandum accipere. Sanguis ergo materiam ormando proli corpori, ac deinde alendo subministrat: ita Galeus, lib. II *De Natur. fœdit.* cap. II. Idem, lib. I *De Somn. cap.* IX, quænor formationis fetus tempora recenset? « *Primum*, cum semen nihil aliud quam genitura est; *secundum*, cum substantia factus, carnea jam et non amplius seminalis apparet, quem Hippocrates *fœtum* vocat; *tertium*, cum jam trium principiorum, cordis, cerebri, jecoris distinctio et formatio evidenter conspici potest, reliquorum autem membrorum obscurior quædam delineatio; *quartum*, cum brachia et crura distincte absoluta cernuntur, neque amplius *fœtum*, sed *infantem* appellat Hippocrates, cum eum palpitare et moveri, ut animal jam perfectum inquit. » Plura vide apud Galenum et Hippocratem, libro *De Signat. fœtus.**

Communis sententia est fœtum utero matris gestari novem duntaxat mensibus, illudque assignatur II *Machab.* VII, 27; Sapiens tamen hæc decem menses assignat: idem faciunt multi auctores classici, ut Virgilius in *Pallione*:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et illud Plautinum in *Amphitryone*: « Decimo post mense nascitur puer; » quibus concinit Ovidius, I *Pastorum*, ubi locutus de Romulo, qui annum decem tantum mensibus complebat, subditi rationem qua dicebatur:

Quod satis est utero matris duræ prodeat infans,  
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Accedit jus civile: nam in 6, tit. 29, *De Posthumis hered. institut.*, legitimi heredes censentur filii posthumi, qui decimo mense a patris intra nascuntur. Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XXXVII: « Legitima, inquit, natiuitas ferme decimi mensis ingressus est; » et rationem addit moralem: « Ut decem, inquit, menses decalogo magis inagrentur hominem, ut tanto tempore numero nascatur, quanto disciplina numero renascitur. » Consentit D. Ambrosius serm. 45 in *Psal. cxi*, ubi locutus de naturali amore ergo parentes: « Non possum, inquit, salvo pietatis jure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum, nec matrem, longo decem mensium fastidio pili fetus onera portantem. » Idem censet S. Augustinus, lib. III *De Trin.* cap. V, et *epist.* 3 ad *Volutianum*. Denique B. Petrus Damiani, lib. II, *epist.* 21, et in ordine 42, refert a piosque Ecclesie doctores (in ea esse sententia, ut asserat) decem mensibus hominem in materno utero coalescere, nec intra novem mensium spatium fateantur exire: quod tamen ipse interpretatur de decem mensibus triginta tantum dierum, hisque non impletis, sed tantum inchoatis. Sic enim et Christus Dominus, qui conceptus 25 martii, et natus 25 decembris, novem tantum menses implevisse videbatur, in decimum nihilominus dicendum est excurrisse, cum ex illis novem mensibus quinque unum et triginta dies sortiantur, atque ideo ultra novem menses quinque dies, qui decimum inchoant, supersint. Si igitur decemestre est spatium, quo uteris gestatur, seu fœtus maturecit, recte I *Reg.* I, 20 in nativitate Samuelis vocatur *circitus dierum*: nam denarius mathematicis appellatur numerus sphaericus seu circularis, ut Georgius Venetus *De Harmonia mundi*, cant. 1, tom. VIII, et cap. II, testatur. Ita noster Alphonsus Mendoza in I *Reg.* I, 20.

Adde ex Aristotele, lib. VII *Hist. animal.* cap. IV, ceteris animalibus certum et determinatum esse conceptionis et partendi tempus, homini vero incertum et varium: nam et septimo mense inquit, et octavo, et nono, mater parere potest, et quod plurimum accidit, decimo; nonnulli etiam undecimum attingunt, aliquæ etiam decem

tertium, ait Plinius, lib. VII, cap. V; quia et subinde decimum quartum, ait Avicenna, lib. *De Anima*. Verum hi partus sunt monstruosi, ideoque eos jura non admittunt. Optimi ergo et perfectissimi nascendi fines novem vel decem mensibus terminantur. Adjungit Rabanus, quem citat Holcot, natos decimo mense esse perfectiores, magisque vitales, velut perfectissimo tempore genitos. Sic et Hippocrates, lib. *De Septimestri partu*, et lib. *De Natura fœtus*, præfert ceteris natos mense decimo, non completo, sed inchoato. Unde Theocritus, *Idyllo* 24, Herulem virorum fortissimum asserit mense decimo pregnatum. Idem de ceteris heroibus docet Pineda, lib. I *De Rebus Salomonis*, cap. VII. Hinc et S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.* XXXVI, et lib. IV *De Trin.* cap. V, ait Christum natum post 276 a conceptione dies, id est post novem menses exactos, et decimum inchoatum per sex dies, si cuilibet mensi 30 dies assignes. Idem asserit S. Chrysostomus, serm. *De S. Joanne Baptista*, etsi dies præcise non numeret. Si tamen omnes dies anni in duodecim menses æqualiter partiaris, cuilibet mensi obvenerit 30 dies et decem horæ cum dimidia; quo posito, decimus mensis Christi in utero matris, erit inchoatus tantum per unum diem et sesquihoram circiter. Imo noster Pineda loco jam citato, num. 20, naturalissimum et perfectissimum partum requirere a conceptione decem menses integros, probat ex partu Christi Domini, qui fuit perfectissimus; ipse enim primo conceptionis sue instanti fuit a Spiritu Sancto perfectè formatus, organizatus et animatus, quod in ceteris feminis tantum contingit die quadragesimo a conceptu; quod si novem mensibus, quibus Christus fuit in utero, hosce 40 dies addas, utique decem menses integros invenies, quos partus perfectissimus exigere videtur. Addit Petrus Bondus in *Myster. num.* cap. XLV, primogenitos decem mensibus saltem inchoatis utero gestari. Ergo dum decem menses sibi attribuit Salomon, significat accidisse sibi, quod et primogenitis, ut quinque diebus supra novem menses gestatus fuerit, atque adeo, ut in ipsa gestatione jam prænantia fore ut primogeniti jure in regnum paternum successurus esset, quamvis minime esset primogenitus.

Aliis hæc conciliat Franciscus Valesius *Sacra Philoa.* cap. LXXXIII, ubi asserit maxime naturalem et ordinatam nascendi periodum esse novem vel decem menses Sapientem ergo, cum hæc decem menses assignat, non solares intelligere, sed lunares, quibus Hebræi utebantur, eosque non integros, sed novem integros, et decimum currentem; novem vero menses communes, sive solares, quos assignat auctor II *Machab.* II, 27, faciunt novem menses lunares, et tollidem fere dies, qui decimum mensem inchoant: quare idem in re hic præscribit nascendi tempus, quod II *Machab.* VII, 27: hæc ipse. Porro hæc

omnia ærummosos hominis nativitatem vitamque significant: nonne enim ærummosus est latuisse per decem menses in tenebrosis et fœdo matris utero, velut in carcere, vel sepulcro. Audi B. Petrum Damiani, lib. VII, *epist.* 5 ad *Agnetem Augustam*: « *Decem mensium tempore coagulatus sum a sanguine et semine hominis, et delectamento somni convenientis; si non pigeat vigilantè advertere que mens hæc audiens typho valeat arrogantie superbire, et quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tam obscenarum ortus sui considerat fœditatem, dicens intra se: Quid superbis, terra et cinis?* » Audi S. Bernardum in *Med.* II: « *Quid ego sum? Homo de humore liquido: fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata medicum crescendo caro facta est.* »

Porro materie huic humanæ multis nominibus arborum et plantarum semina preferuntur, primo, quod hæc munda sunt, et sine ullo horrore in sinum mittuntur, oculis videntur et manibus atteruntur; illa vero materia adeo impura est et fetida, ut nec manu tangi, nec oculis sine rubore aspicere possit. *Secundo*, arborum semina puriora quadam emanatione procedunt; sed materia hæc emanat, non sine pruritu carnis, fervore libidinis et fetore luxurie: ideo conceptio hominis tenebras atque et tanquam nec obscena, et que genitori ignominia est, lucem fugit, et aliorum etiam familiarissimum aspectum exhorret. *Tertio*, semina arborum atque etiam animalium nullo peccato, nullaque iniquitate inficiuntur; at hæc materia ejusque emanatio septicissime aliquo peccato, saltem levi fodatur, quod parentes ex nimia delectatione solent contrahere. *Quarto*, illa semina durabiliora sunt, ac multis diebus, et mensibus, et annis incurrit servantur: nam et vidimus aliqua post tres aut plures annos germinasse; hoc vero semen quasi momentaneum, post modicum temporis corruptionem subit, et in corruptelam pertransit. *Quinto*, tandem arborum semina semel putrefacta, et in arbusculam vel plantulam versa, purissimum terræ humore concrenscunt; at semen hominis in corpus humanum coagulatum, cibo spurcissimo augetur. Sed attende, inquit Innocentius, lib. I *De Contemptu mundi*, cap. IV, quo cibo conceptus nutriatur in utero. *Profecto sanguine menstruo, qui cessat in femina post conceptum, ut ex eo conceptus nutriatur in femina, qui fortis esset tam detestabilis et immundus, ut ab ejus contactu fruges non germinet, arcescant arbusculæ, moriantur herbe, et amittant arbores fœtus, et, si canes inde comederint, in rabiem effundantur. Ecce, homo, parentes tuos, ex quorum dignitate gloriaris, duo hæc semina viri et femine libidinosè commixta, in quibus nominandis jam modestia et pudicitie metas transilimus. Ita noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Cognitione sui*, part. II, cap. V. Et DELECTAMENTO SOMNI (græce ὄνειρος, id est*

**sonno) CONVENIENTE.** — Ita Romana et Græca; minus recte ergo S. Ambrosius, serm. 8 in *Psalm.* CXVIII, et S. Bonaventura hic legunt, *sonni* (alii, *sonniis*) *convenientis*. Græce est, *ἰσθητὴς ὕπνου ἀναδεδόσθαι*, id est ex voluptate vel delectatione, quæ venit cum somno, sive quæ concurret cum tempore somni, id est quæ noctu peragitur. Honesta periphrasi circumseribit actum generationis. Addit S. Bonaventura et Carthusianus actum hunc vocari *somnum*, quia rationem ligat, et illico transit, sicut delectatio somni. Verum prius duntaxat significat græcum *ἀναδεδόσθαι ὕπνου*, id est convenientis somno, id est veniens cum somno, comitantis somnum: somnus enim post conceptionem, eam adjuvat et promovet, uti docent philosophi et medici; unde Job III, 4: « Perat, inquit, dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. » Perperam ergo Lyranus, Clarius et Holcot hæc accipiunt de dulci infantium somno, quo jugiter absorpti in utero matris decem transigunt menses. Minus quoque genuine Jansenius *delectationem somno convenientem* exponit eam quæ deest somnum, quæque congrui nocti ob actus facilitatem et reverendiam: positus est enim, inquit, genitivus pro dativo, puta *sonni pro somno*: hæc ipso. Porro quia Noster veritatem *sonni* in genitivo, qui referri debet ad *delectationem*, non ad *convenientem*, id est simul veniente, ut patet ex syntaxi, hinc Salomon ait se coagulatum ex sanguine feminæ et semine viri et *delectamento*: et significat *id est* (est appositio), q. d. Quod est delectamentum somni, id est noctis, *conveniens*, id est simul in unum veniens et conveniens ad generandam et formandam prolem. Tò ergo *conveniens* significat confluxum et concursum seminis virilis et feminæ, qui fit per congressum viri et feminæ ad generandam prolem. Sic dicitur *Matth.* I, 48: « Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent; » sic enim honeste vocatur congressus conjugum. Honesta ergo periphrasi circumseribit delectationem actus maritalis, quo fit ut delectabiliter concurrat semen tam maris, quam feminæ ad formandum embryonem, illamque vocat *sonni*, tum quia nocta fit, cum solent homines somnum capere; tum quia somnus multum juvat conceptionem: somnus enim præcedens conceptionem in utero parente semen concoquit, elaborat et maturat; subsequens vero in femina facit ad conceptum seminis retentionem, digestionem et perfectionem, uti docent Galenus et medici. Sic cap. IV, vers. 6, ait: « Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur. »

Salomon feditati materie, puta sanguinis et seminis, ex quo formatus est, addit feditatem actus, quo conceptus est, ut originis suæ vilitatem et feditatem ostendat: hic enim actus adeo fedus est, ut lucem fugiat, ac somnum et noctem, id est tenebras et latebras, quibus se occultat, quaerat: ipse enim homini eripit usum ra-

tionis (unde philosophus eum definit esse medici temporis *epilepsiam*), eumque quasi in brutum et bestiam transformet: nullus enim actus magis brutus et bestialis est, quam venerere. Unde Alexander Magnus duabus potissimum rebus, quum deus a multis prædicaretur, se quod mortalis esset deprehendere dicebat, somno et coitu, quod hæc præcipue proderent humani corporis imbecillitatem; ad cætera invictus erat: somnus enim mortis imago est, et coitus species est morbi comitalis: ita Plutarchus in *Alexandro*. Porro singula pene-verba hujus versus et præcedentis habent emphasim, novaque et singulas hominis nascentis ærumnas continent, ut patet sigillatim ea expendenti.

3. ET EGO NATUS ACEPI (græce, *ἄσπασα, ἀτράξαι*; S. Ambrosius, serm. 8 in *Psalm.* CXVIII, *housi communem* (non tantum cum cæteris hominibus, sed etiam cum bestiis omnibus) *AEREM*, ET IN SIMILITER FACTAM DECIDI TERRAM, ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS ENISI PLORANS. — Syrus, *stetit quilibet homo capere plorare*; Arabicus, *et venit plorans*. Salomon tres hic nativitatibus suis ærumnas recenset, *primam*, quod atraxerit aërem communem omnibus, etiam brutis, quasi ab aere tenuissimo penderet ejus vita, ac fugientem animam cogere- tur respirando fovere et conservare. Vido ergo quam caduca et occidua sit vita, quæ a tenuissima et fugacissima, qualis est aer, dependet: pendet ergo ex aere et flatu, quasi ex filo, qui si desit, animam efflari necesse est: nam, ut ait Galenus, lib. *De Util. respir.* cap. 1: « Cum ne momentum temporis sine respiracione sufficere possimus, manifestum est eam ad nullam particularem actionem, sed ad ipsam vitam pertinere. » *Secunda*, quod in similem cæteris terram deciderit, quasi terræ filius ab ea alendus, et in eam cum matrem post mortem rediturus. *Tertia*, quod prima ejus vox fuerit ploratus, quo vita ærumnas, quas nature instinctu sibi imminere augurabatur, deplorabat.

Rursus hæc tribus innuit se compositum et quatuor elementis: ideo enim aërem atrahit, quia eo constat; hinc enim rebus res alitur, quibus constat, ait Aristoteles. Rursus sub aere intelligit ignem, ideo enim homo aërem frigidum atrahit, ut ignem, id est calorem cordis et sanguinis refrigeret. *Terra* intelligitur in eo quod terrestris suo pondere in terram decedit, *æqua* in ploratu et imbre lacrymarum. Ex quibus colligendum relinquit hominem habere corpus, non cæleste, lucidum, simplex et incorruptibile, sed elementarium, opacum, mixtum, corruptibile, quod defectus et vitia omnia que elementis insunt ex his sugat et hauriat; unde fit ut homo ex igne levitatem, bilem et superbiam; ex aere, inconstantiam et ostentationem; ex aqua, fluxum et defluxum; ex terra, crassitatem et hebetudinem. Porro infans in utero matris post formatum pulmonem respirat, aëremque internam at-

trahit, ait ex Hippocrate Galenus, lib. *An animal sit id quod in utero est*, cap. III; sed id negat Aristoteles, lib. *De Spiritu*, cap. III, ubi docet fetum in utero mox formato corde habere pulsum, ac deinde alii et nutriti, ultimo respirare: « nam tum primum respirat, inquit, ubi in lucem editus fuerit partus: » idem docent alii, quibus his favet Salomon. Rursus Aristoteles, lib. II *De Generatione animal.* cap. IV, et ejus assecuta tradunt puerum in utero per umbilicem atrahere alimentum et nutriti, ideoque mox ut natus est, os mammae matris admovere, ut lac sugat: ita Galenus loco citato, et Fortunius Lycetus, lib. *De Ortu animæ humane*, cap. XLV. Omittit sic Salomon puerperæ fastidia, partus dolores, infantis pericula, infirmitatem, spurcitiem, de quibus Plutarchus, lib. *De Amore prolis*: « Nihil, inquit, est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo a partu statim conspectus, cui soli fore ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus taboque oppletus, et occiso magis quam nato similis, a nemine tangi, tolli, suaviari et amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amore. »

ET IN SIMILITER FACTAM (græce, *ἰσοπερατὴν*, id est *similiter vel similita passam*, ut vertunt Pagninus, Arias et Lorinus), hoc est similibus passionibus, qualitatibus, incommodis, miseris et ærumnis obnoxiam, quales sunt calor, frigus, æstus, siccitas, fames, siliis, morbi, etc.) *DECIDI TERRAM.* — Vatablus, *at in ejusdem ingenii terram excidit*, q. d. Licet nasceretur filius regis Davidis, tamen nascendo effusus sum in terram, non molliorem, neque meliorem, sed similem cæteris, more aliorum hominum et animalium: sicut enim cælum unum est omnibus, sic et una omnes excipit terra, juxta illud Prudentii:

Una omnes gradiuntur humo,

æque ac unius aeris hanstu vivunt. Hinc in terra calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, cætasque qualitates, mutationes et perturbationes sensi et passus sum, æque ac reliqui homines et animalia. Porro, ne infans dum nascitur allisu ad terram lædatur, excipitur ab obstetricibus. Unde S. Ambrosius, epist. 64, quæ est ad *Syprianum*: « Obstetrices dicuntur, eo quod obstant ne fetus laxatis uteri genitalibus in terram deiciatur; » et Claudius, lib. X:

Quem prima moe de matre calentes  
Excipiunt gremio.

Et Job, cap. III, 12: « Cur exceptus genibus? » Censet notum Pineda, lib. I *De Rebus Salom.* cap. XII, num. 4, hic respici ad prisorum Romanorum ritum, qui pueros recens natos deponabant in terra, ac Opem deam, ut ei optularetur, invocabant, teste Festo. Idque *primo*, inquit Varro, lib. II *De Vita pop. Rom.*, ut infans auspicaretur Vitalis ac rectus esse. *Secundo*, ut velut filius terre ac pie matris opem et alimenta imploraret,

ait Macrobius, lib. I *In Somn. Scripturis*, et S. Augustinus, lib. IV *De Civ. Dei*, cap. XI, quem audi: « Ipse (Jupiter sive Deus) opem ferat nascentibus, excipiens eos sine terra, et vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, et vocetur Deus Vagitantis. Ipse lovet de terra, et vocetur dea Levana. Ipse cunas teneat, et vocetur dea Cunina. Neq. sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, et vocantur Carmentes. Præsit fortuitis, voceturque Fortuna. In dea Rumea mammam parvulo immulgeat, quia *rumma* dixerunt veteres mammam. In dea Polina potionem ministret. In dea Edutia escam præbeat. De pavore infantia in Paventia nuncupetur. » *Tertio*, ut terram omnium mortalium matrem esse profiteretur, de quo Philo, lib. *De Mundi opificio*. *Quarto*, ut se in terram reditaram presignificaret, juxta illud Lucretii, *V De Natura Rerum*:

Omni parens eadem rerum commune sepulcrum.

Hic Romanorum fuit ritus; verum an idem fuerit Hebræorum, præsertim tempore Salomonis, difficile est credere, difficultius probare.

Porro homo nascentis primo caput emittit, ultimo pedes: audi Plinium, lib. VII, cap. VIII: « In pedes, inquit, procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere *agrippas*, ut ægre parios, qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina: ritu nature capite hominem gigni mos est, pedibus efferi. » Audi et Aristotelem, lib. VII *Histor. animal.* cap. VIII: « Situs in utero quadrupedum omnium extensus est; expeditum autem obliquum, ut piscium; bipedum vero inflexum contractusque, ut avium; homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genus, aures extra genua habeat. Omnibus æque animalibus caput primum superius est; sed cum creverint et jam exitum appetant, deorsum deducitur. Ita fit ut omnibus partus secundum naturam in caput, contra naturam in pedes, aut inflexo circumactoque corpore agatur. » Et cap. X: « Nascentur secundum naturam cætera etiam animalia versa in caput, sed pueri manus quoque ad costas porrectas extensasque habent; qui cum exierint, vocem statim erudunt, et manus in os admovent. Exerementum etiam reddunt, alii statim, alii brevi, sed omnes intra diem; quod exerementum pluris quam pro infantis magnitudine est. Papavericulum hoc mulieres vocant, colore cruentum, atque ædmodum rufi et picum est, mox lacteum et albidum additur; sugi etiam confestim bera infans. Væsem antequam egrediat, nuda, tam emittit, etiamsi cum difficultate egreditur, caput exstat, corpus intus sit totum. »

ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI (legit eum Compulsiuibus et S. Ambrosio *ita*, id est *emisi*; jam Vaticana et ceteri legunt *ita*, id est *emisi*) FLORANS; — græce, *λάων*, id est *vagians*, (quasi *λάω*, id est *frangens*, inquit Eustachius in IV *Odyss.*, quia vagitus fit per quamdam membrorum violentam quasi effractionem, seu compressionem; et, ut ait Tertullianus, *De Anima*, cap. vii: *Vagitu vitam saluans*: nam infantes primis ab ortu quadraginta diebus vigilantes non vident, nec lacrymantur, sed vagiunt; exactis vero 40 diebus lacrymas fundunt, ut docet Aristoteles, VII *Hist. anim.*, cap. x. Idem VI *Polit.*, cap. xvi, quem sequitur Avicenna, causam physicam assignat, quod vagitus hic et ploratus faciat ad vocis exercitium, et ad corpus roborandum. Verum causa propria moralis est, scilicet peccatum originale, in quo nascuntur, cuius hic vagitus est index et pœna: nam cætera animalia in ortu non vagiunt, imo nullam vocem emittunt. Unde notat Lyranus, Holcot, Lorinus, Pineda et ceterique interpretes, masculos dum nascuntur vagiendo vagitum auspicari ab A, quæ est prima littera nominis Adæ protoplasti; feminas ab E, quæ est prima nominis Evi, quasi de eorum lapsu queritur. Hinc et Christus, ut per omnia nobis assimilaretur, nostramque culpam heret et expiare, vagiendo natus est, iuxta illud Fortunati:

Vagit infans inter arcta conditus nascentia.

Causa physica est, quod infantes nascendo magnam sentiant mutationem, transeunt enim nudi ab utero molli et calido ad terram duram et aërem frigidum: rursus a tenebris et somno ad insolentem lucem et vigiliam, etc., quibus omnibus percellantur, ac dolentes vagiunt. Ita Alexander in *Problem.* Causa symbolica est, quod infans presentiat, presagiat, et quasi «nesciens prophetet», ait S. Augustinus, XXI *Civit.* cap. xiv, mille vitæ æternas sibi subendas, quas deplorat; unde Lucretius, lib. VI, ait:

Vagitante locum lugubri complet, ut æquum est;  
Cui tantum in vila restat transire malorum.

Hæc de causa Thracæ, Gadensæ, Trausi et Canisani nascentes lacrymis, morientes gaudio et risu prosequébantur, teste Alexandro ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. xxv.

Si cui homini Deus revelaret omnes afflictiones corporis et anime, illi subendas per reliquum vitæ, horreret, ploraret, et pene desperaret, quidni ergo eas omnes presentiens infans ejulet? Audi S. Augustinum, lib. XXI *De Civit.* cap. xiv: «Quis non exhorreat et mori eugat, si ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rursus infantia; que quidem non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingressa sit nesciens prophetat quodam modo.» Unde Plinius ignorans veram vagitus causam, scilicet peccatum

originale, et nature per illud corruptionem, naturam ipsam velut nocerem accusans, in *Proemio* lib. VII queritur: «Hominem tantum nudum, inquit, et in nuda humo, natali die abiecit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ, principio, etc., flens, animal omnibus imperalarum.» Aditque «non fari, non ingredi, non vesci, breviterque hominem scire nihil sine doctrina, non aliud nature sponte, quam flere.»

Priscis Latinis infantes vagiendo va sonare videbantur, unde per *ομαλοποιεiam* vagire dicitur, ac Vagitanus (quæ et Levi nomen flexu *Vaticanus* dictus est) deus, ut iis auxilio esset, implorabatur, ait Varro. Atci Cellium, lib. XVI, cap. xvii: «Vaticanus deus nominatus pene quem essent vocis humane initia, quod pueri simul atque parti sunt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticana syllaba est; idcirco *vagire* dicitur, experimente verbo sonum vocis recentis, a Romæ deus hic colebatur in monte, qui ex eo etiamnum *Vaticanus* nuncupatur, quem nunc occupat corpus, sepulcrum et basilica S. Petri, qui omnes christianos, quasi modo genitos infantes lacte suæ doctrinæ aluit et pavit, verus utique eorum *Vagitanus*. Unus hic exipitur Zoaroastres, qui in ortu suo non vagit, sed risit, ut refert Solinus, lib. I *De Mirab. mundi*, cap. iii, et hoc fuit portentum malumque omen: nam postea fuit artis magicæ inventor. Cardanus, lib. *De Rerum varietate*, cum de hominis natura agit, cum non nisi post aliquot dies ridere tradit, primumque risum, quem edit, non nisi in somnis existere, quo significari ait nullum, nisi confecto hujus vitæ curriculo, verum ac certum gaudium esse: nam, ut ait S. Augustinus, omnino nihil aliud est tempus vitæ hujus, quam cursus ad mortem; unde Seneca, lib. IV, *epist.* 24, vitam comparat clepsydre, ex qua aqua vel arenasim citoque tota deluit et deficit: simili enim modo deliunt dies vitæ, quibus mors succedit. Denique infantes nati deponuntur in terram quasi matrem, ut eam velut mox futurum sibi sepulcrum saluent, et inter infantiles vagitus funebres monodias ac menias modulentur, iuxta illud S. Bernardi, serm. *De S. Martino*: «In terra, inquit, oritur in terra morimur, » q. d. Prima vivendi sedes est ultima moriendi; nos majori discrimine ortus et interitus ab invicem separantur, quam hæc duo verba, *oritur* et *moritur*, que una tantum littera distinguunt.

4. IN INVOLVENTIS NUTRITUS SUM, ET CURIS MAGNIS. — Græce, *ἐσπαγγίνας*, id est *in fasciis et involucris* infantibus; unde et Christum, qui est verus Salomon, ut nobis esset similis, *ἐσπαγγίνας*, id est *pannis involvit*, id est fasciavit Virgo Depara, *Luc.* ii, 7: *Idcirco primo*, quia cum cætera animalia pilis vesita nascantur, solus homo plane nudus nascitur, ideoque fasciis, et quasi vestibus

involvendus est. Audi Plinium de natura quasi nocera hominis querentem in *Proemio*, lib. VII: «Ante omnia unum animalium eunctorum animalis velat, cæteris varie tegumenta tribuit, testas, corices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumas, pennas, squamas, vellera; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigore et calore tutata est; hominem tantum nudum, et in nuda humo natali abiecit die, » etc.; et Plutarchus, lib. *De Amore prolis*: «Nihil, ait, est ita imperfectum, inops, nudum, informe et spurcum, ut homo a partu statim conspectus, sanguine inquinatus, taboque oppletus, occiso magis quam nato similis.» Hæc sola purpura indutus prodit in lucem princeps æque ac plebeius homo: ex eadem quisque tela conspiciuntur vestitus. *Secundo*, fasciis eget infans, ut iis mollia ejus membra stringantur, confirmentur et solidentur, ne ex vagitu et ineptis pueri motibus luxentur, labefactentur, aut distorquantur; moleste ergo sunt infanti fasciæ, ac quasi compedes ejus et vincula, quibus constringitur, sed necessarie ad salutem, unde Galenus, lib. I *De Sanitate tuenda*, cap. vii, et II *De Motu muscul.* cap. vii, et *De Caus. morb.* cap. vii, docet «conducere plurimum tuende valetudini infantili, ut fasciis deligetur infans, sed corpori prius toti sale modice inperso, ut membra melius consolidentur atque firmentur, et, nisi commodè fasciatur infans, quorum sunt mollia peneque fluxibilia corpora, facile inverit et corrupti membri cujusque figuram.» Catoni propterea Cæsarino tanta eurae fuit apud Plutarchum, «ut nisi se spectante liberis fasciari permiserit.» *Tertio*, fasciæ juvant ut infans, qui quasi quadrupes nascitur, ac manibus pedibusque reptit ut rana, cito consolidatis membris et pedibus, iis incidere valeat hipos ut homo; quam vero hoc sit miserum describit Plinius loco jam citato: «Ab hoc, inquit, lucis rudimento, que ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus, itaque feliciter natus jacet manibus pedibusque revinctus: flens animal cæteris imperatarum, et a supplicii vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est: heu demeritiam, ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos!» hæc ille.

Unde hæc fasciæ representant insitias, ligamina, sindones et lintea, quibus puer post mortem involvendus est, ut inferatur in sepulcrum. Puer ergo, in cunis fasciatus, speciem habet defuncti jacentis in sarcophago, quia nascitur moriturus, gignitur ut sepeliatur. Sub fasciis cunas ceteraque similia intellige. Accedunt varii dolores, quos ex nimia vel inconcinna fascinatione, multisque aliis incommodis patitur puer, et explicare nequit, sed vagiendo et plorando eos proci, ad quos leniendos tria remedia suggestit natura. Audi Galenum, lib. I *De Sanitate tuenda*, cap. vii: «Tria hæc doloris infantium remedia

nutricibus ipso vix edoctis inventa videamus, scilicet nutrices papillam ori inditam, motum medioerem, vocis modulationem. Rursusque triplicem exocogitatum dimotionem infantium, in cunis, in lectulis pendentes, in suis ipsarum nutricibus ulnis.»

ET CURIS MAGNIS. — *To magnis* jam non est in Græco. Perperam P. Nannius pro *curis* legit, *cunis*; forte in aliquo exemplari pro *græcia*, id est *curis*, scriptum legit, *græcia*, id est *nascitulis onerariis*, que cunarum speciem referunt; aut *æquæ*, *æquæ* enim est *græcia*, vas, corbis, quibus similes sunt cune. Porro in cunis, magnis curis et sollicitudinibus parentum, obstetricum, nutricum, paedagogorum altur et educatur infans; unde varios morbos, ac non raro mortem subit: quocirca illi servando gentiles Cuninam deam præfiebant, ait Varro, et ex eo S. Augustinus, IV *De Civit. Dei*, iii. Porro Gentiles heroum filios recens natos ponebant in clypeo, ut ad bellum eos erudiret; unde positus est in scuto apud Theocritum Hercules, itidem Iphiclus ab Alcmena parente:

Cum ambos lavisset, et lacte replevisset,  
Pecit super scutum aream quod Pterela  
Amphiryon, pulchrum armatarum, ademerat interfecto,

Quin et Lacæne in clypeo pariebat, auctore Nonno *Dionysio* AI. Denique curas has exstimulat amor, presentium matris erga prolem, quia enim impense eam amat, hinc impense eam curat: mensura enim curæ est amor; unde Anacharsis, rogatus «cur conjugio abstineret, » respondit: «Quia nimis amarem prolem ex eo natam.»

5. NEMO ENIM EX REGIBUS ALIUD HABUIT NATIVITATIS (græce, *γενέσεως*, id est *ortus*) INITIUM. — Sub ortu accipe conceptionem, nativitatem, educationem; que omnia mille periculis et incommodis, ideoque mille curis et anxietatibus sunt obnoxia in homine, non autem in cæteris animalibus, quibus proinde longe infelicio et ærumnosior est homo: dicit hoc Salomon, non tam ut cæteris regibus, quam ut reliquis hominibus plebeis sese assimilet et adæquet.

6. UNUS ERGO INTROITUS EST OMNIBUS AD VITAM, ET SIMILIS (græce, *ἓν*, id est *æquatus*) EXITUS. — Idem ergo est hominis principium, idem finis, solis vero mediis vitæ itineribus discrepant; qui ergo sapit, ea præclare obeat. Pro ergo græce est *ἓν*, id est *autem*; sed *ἓν* subinde est illatum, et æquipollet ergo, ut superius monui. Pro *introitus* græce est *ἓν*, que vox *primo*, est theatralis, et adaptatur personis scenicis in theatrum prodromibus, ut in comædia agent personam, hic regis, ille servi, iste militis; unde *ἓν* vocabatur *comædia*, quod in fine comædiæ canebatur, teste Pollice, lib. IV. Similis est introitus ad vitam; per eam enim ingredimur in theatrum hujus mundi, ut personaliter comicam agamus, hic sa-

cerdotis, ille principis, iste plebei. Unde Augustus Caesar, teste Suetonio, moriturus ad amicos ait: « Satisne belle personam nostram egimus? » Illis respondentibus *belle*, attrahens claudensque lectuli cortinas: « Valetate ergo, inquit, et plaudite, » uti dicunt scenici finita iam comedia. Homo ergo in hac vita est mimus et histrio in tragedia, quæ coram Deo, angelis et hominibus exhibetur, juxta illud Pauli I Cor. iv, 9: « Spectaculum (græce *κίβητος*, id est *theatrum*) facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Quisque ergo videat ut decore personam exposcenti exactam reddat. *Secundo, dicitur*, convenit navigantibus, qui navim ingrediuntur, ut in portum a se præsentem evanigent: sic ingredienti in vitam, ingrediuntur in mare mille tempestatibus et periculis preteritum obnoxium, ut per illud duce Deo, et afflante Spiritu Sancto in portum salutis evanigent. *Tertio, dicitur*, convenit ingredientibus mundanas et forum, ut in eo merces emant aut vendant: sic vita nostra est mercatus et mundanus, ait S. Gregorius Nazianzenus, in quem nascendo ingrediuntur, ut in eo merces virtutum, meritum et bonorum operum, quibus mereamur salutem et vitam eternam, comparemus. *Quarto, dicitur et dicitur*, id est *ingressus et egressus*, competit soli orienti et occidenti, neque ac lunæ et stellis: mane enim sol oriens ingreditur in nostrum hemispherium, vespere occidens egreditur; sic homo celerime per vitam et mundum pertransit, ut in nativitate quasi mane ori, in morte quasi vespere occidere videatur. Sicut ergo sol velocissime eodem die transit ab ortu ad occasum, sic homo a vita celerime decurrit ad mortem; adeoque vita ejus non est aliud quam transitus continuus ab ortu ad occasum et mortem. *Quinto, dicitur*, convenit athletis, cursoribus et curribus in stadium pro premio ingredientibus; in quoque ad metam celerime decurrentibus: sic enim vita nostra est stadium, in quo certamus et decurrimus ad metam et palmam celestem; quare mors sapientibus et sanctis non tam est finis vite, quam mortis, ac vere vite initium, et æternitatis janua, uti passim docent SS. Patres, quin et philosophi.

Audi paucos e multis. Maximus Tyrius Platonius, *serm. 25*: « Hoc, ait, quod *mortem* homines vocant, id ipsum est immortalitatis initium et futura vite procreatio. » Indi brachmanes apud Strabonem, lib. XV, affirmant « mortem esse nativitatem ad illam veram atque felicem vitam. » Palladius, lib. I *Florileg.*: « Anima e corpore tanquam e carcere mortis fugit ad Deum immortalem. » Apollonius Tyaneus apud Philonem, lib. VII: « Nos, inquit, homines in carcere sumus omnitemporis, quod nos *vitam* appellamus, et qui primi domos invenerunt, non animadvertisse videntur, quod alio carcere seipsos circumdarent. » *Græco in Calone Majori*: « Domus sumus

in his conclusi compaginibus corporis, minime quodam necessitatis, et gravi opere perangimur: est enim animus celestis ad altissimum domicilium depressus, et quasi demersus in terram, locum divine nature æternitatis contrarium. » Idem, in *Somnio Scipionis*, agens de herobus romanis: « Qui, inquit, e corpore tanquam e carcere evolarunt. » Themistius apud Stobæum, *serm. 121*: « Videtur, inquit, ipsum *τὸ κέρας*, id est *mortis*, nomen, hominem e vita migrantem, non ad locum aliquem sub terram referre, sed extollere *ἄνω εἰς τὸν*, hoc est *sursum ad divinam sedem*: sic enim probabile est animam veluti a vinculo corporis, quod exspiravit, solutam, tum demum vere respirantem, sequere recreantem, Deo sociari, et ab eo pendere. » Idem Themistius *ibid.*: « Mortis, ait, effectum subire, simile est initiationi in magnis aliquibus sacris: quocirca ut ipse *καρπὸς* enim *mortis* est; *ἀνάστασις*, *initiatio*, nam post mortem mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri, aut æmœna prædæ defunctos excipiunt, in quibus voces, choreæ et venerabiles de rebus sacris narrationes resonant: illic homo jam perfectus initiatus, sui juris factus est liber, coronatus obambulans sacra celebrat, et conversatur cum viris sanctis puriorum, profanam in terra et impuram turbam insipientium, que in profundo ceno et caliginis a seipsa conculcatur et compellitur. »

Ex quibus omnibus recte concludit S. Maximus episcopus Taurinensis in *Cent. V, cap. LXXVI*: « Non puto finem vite hujus justum esse *mortem* appellare, sed *recessum a morte*, separationem a corruptione, tenebrarum subductionem, ut in summa dicam omnium consummationem malorum. »

7. PROPTER HOC OPTAVI, ET DATUS EST MIHI SENSUS: ET INVOCAVI, ET VENIT IN ME SPIRITUS SAPIENTIE. — Subdificillius est hoc loco nexus, non satis enim liquet quid referat *propter hoc*. Respondet primo noster a Castro, sicque explicat, *q. d.* *Propter hoc*, id est propter sermum meum jam recensitas, quia scilicet vidi me natum in summa miseria, nec posse meis viribus ac industria sapientiam comparare, in hoc volui præferri aliis, quod confugi ad sapientie anchoram et largiorem; cognita ergo infirmitate mea, et Dei summam potentiam et liberalitatem optavi. *Secundo*, magis genuine noster Lorinus: « Humana, inquit, imbecillitas consideratio impellit eum ad concupiscendam et poscendam a Deo sapientiam, responditque voto ac precibus eventus, et anime, quam sciebat esse immortalem, accommodatam perfectionem adeptus est: philosophia enim mortalitatis meditatione gignitur. *Tertio*, Jansenius: Quia commune est omnibus initium nativitas, et quia vidi me sicut reliquos homines natum in ignorantia, ideo optavi sensum et sapientiam, que hanc ignorantiam dirigeret, imo depelleret. *Quarto*, noster Pineda, lib. I *De Rebus Salomonis*,

*cap. XII*: « Propter hoc, » inquit, quod scilicet videre me ex natura primordiis cæteris nihilo meliorem, « optavi (votum concepi, quia me ratione excellentiorem efficerem), et datus est mihi sensus » intelligentia, scientia, prudentia: nam esse nomina, que discernunt aliquod inter homines efficiunt, non sunt natura, sed vel fortune, vel liberi et servi, regis et subditi, divitis et pauperis; vel virtutis, laboris et industrie, ut probi vel improbi, sapientis vel stulti, digni indignive laude.

Vivere commune est, sed non commune mereri,

inquit Prudentius disputans adversus Symmachum; et Felix Minutius: « Generosus es? parentes tuos laudas: omnes enim pari sorte nascimur, virtute distingimur: » idem Pineda, lib. VI, cap. ix: « Hinc illa, inquit, Salomonis in eam quæ vera ex virtute laus et gloria est, animi accensio et incitatio, vere regio et excelso animo digna: nam cum eadem essent omnibus vite primordia, et similes progressionis et exitus: « Propter hoc (ut alius excelleret) optavit, et datus est illi sensus; invocavit, et venit in illum spiritus sapientie, et proposuit illam regni et sedibus, » *Sop. VII, 7*; atque hæc est illa famæ et nominis immortalitas, quam sibi proponebat et expetebat. *Sop. VIII, 13*: « Habebo immortalitatem, et memoriam eternam his, qui post me venturi sunt, reliquam. »

Omnia hæc vera, et huic loco apposita sunt et congrua: Salomon enim, quia duplicem personam sustinebat, duplicem hic postulat sapientiam, scilicet unam, que eum ut personam privatam instrueret, alteram que eum ut personam publicam dirigeret. Sensus ergo est, *q. d.* Quia vidi me natum in tanta miseria et ignorantia, optavi et postulavi sensum et prudentiam, que me doceret in vita tam misera et cæca recte sapienter vivere, ac miseria vite vel prudenter curare, vel fortiter sustinere, ejus vero concupiscentias inordinatas et noxias generose cohibere et frenare; denique a voluptate hujus vite, utpote brevis et caduce, mentem avocare, eamque ad futuram vitam in oculis beatam et æternam ambiendam, totisque viribus prosequendam tradere. Rursus, quia rex sum (hæc enim oratio videtur esse illa, qua initio regni postulavit a Deo sapientiam ad regendum, III Reg. iii), postulavi sapientiam non plebeis communem, sed regalem, omnibus superiorem et excellentiorem, qua subditi antecekerem, eosque sapienter regerem et dirigerem ad pacem et felicitatem tum presentem, tum æternam: rex enim emulandi debet Dei sapientiam et sanctitatem, nam, ut ait Polybius apud Stobæum, *serm. 6*: « Honestum decorum est, aut eorum qui diis proximi censentur; » et Jamblicus, *epist. ad Agrippam*: « Oportet, inquit, legibus prefectum summe purgatum esse, juxta summam legum relicitudinem, ac ne-

que seductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ulla occasione *injusta* allicii: nam servitorem et custodem legum, tam incorruptum oportet esse quam summe fieri potest in humana natura. »

OPTAVI, — græce *ἐπέθυσα*, id est *optavi*, oravi, supplicavi, votum concepi: optare enim facere orare et postulare; imo desiderium summi patrefacere superiori, præserim Deo, est orare juxta illud *Psal. x, 17*: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua; » hinc solerter Noster verit, *optavi*, potius quam *oravi*, ut orationis fontem indicaret, scilicet optationem et vehementem sapientie desiderium; præsertim quia orationem mox exprimit, dum subdit: « Et invocavi. » Morali ter docet hic initium sapientie et sanctitatis esse ingens ejus votum et desiderium, juxta illud Christi, *Joan. VII, 37*: « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; » hinc Christus a Jacob patriarcha vocatur, *Genes. XLIX, 26*, *desiderium collium æternorum*; et apostoli in *Pentecoste* per decem dies desiderantes et invocantes receperunt Spiritum Sanctum. Idem fac et tu, ac cum Ecclesia ardentis affectu, magnaque obtinendi fiducia suspira et supplica: « Veni, Creator Spiritus, reple tuorum corda fidelium, » Ita S. Thomas Aquinas profitebatur se sapientiam suam magis oratione, quam studio impetrasse: nam « omnis sapientia a Domino Deo est, » *Ecclesi. I, 4*.

ET DATUS EST MIHI SENSUS, — græce *ἐδόθη*, id est *prudentia*, scientia, intelligentia; Noster vivere solet, *sensus*, ut scilicet in omnibus sensate, sapienter et honeste me gererem.

8. ET PRÆPOSUIT ILLAM REGNIS ET SEDIBUS (græce, *σχεπέρις et θρόνις*, que regis et regni sunt insignia), ET DIVITIAS NIHIL ESSE DUXI IN COMPARATIONE ILLIUS, — græce, *ἐν συγκρίσει*, id est *in adjudicatione* illius, si cum sapientia adjudicatur et in judicio certent ultra alteri prestat: rationem a priori dat ipsa Sapientia, dicens *Proverb. VIII, 14*: « Meum est consilium, et æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; » et vers. 18: « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbe et justitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et geminima mea argenteo electo: » vide ibi dicta. Hinc multi fideles, quin et philosophi ut Crates, Democritus, Anaxagoras abjecerunt opes, et abdicarunt regna, ut vacarent sapientie et sanctitati, quorum nonnullos superius recensui: nam opes et regna sæpe invidi eripiuntur, sapientia et sanctitas invito eripi nequit; sic apostoli dixerunt Christo, qui est dux sapientie: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, » *Matth. XIX, 27*.

9. NEC COMPARAVI ILLI LAPIDEM PRETIOSUM: QUONIAM OMNE AUREUM IN COMPARATIONE ILLIUS, ARGEN-TUM EST EXIGUA: ET TANQUAM LUTUM ESTIMABITUR ARGENTUM IN CONPECTU ILLIUS, — *q. d.* Sapientia Sa-

longe prestantior est omni auro et gemmis; sapientia aspectu obscuratur auri fulgor, infuscatur argentei candor, habescit margaritarum nitor, et quidquid illustre et pretiosum est, sordescit et vilescit, adeoque ipse Plutus (græce enim est *πλούτης*) quem gentiles ut opum deum adorant: quid enim est argentum et aurum, nisi terra alba et rubra? ait S. Bernardus, serm. 4 De Adventu. Pro in comparatione græce est, *ἰσότης*, id est in visione, in conspectu; hinc Plato, lib. III De Republ., sapientes et virtute eximia præditos ait conflatos ex auro et argento, sed celesti, quod terreno præstet, ceteros ex ære et ferro: audi eum: « Deus effector hominum principibus reipublice, qui ceteros præcedebant, miscuit pectori aurum celeste, id est virtutes divinas, ut alta quadam et excelsa mente essent; illis autem, qui hos adjuvarent in gubernando rempublicam, celeste pectoribus indidit argentum, id est præclarum virtutum ornamentum, etiamsi substituerint infra dignitatem priorum; ut et ferrum et æs miscuit agricolis et aliis opificibus, qui reipublice servant. » Addit tamen: « Eos quibus Dominus aurum et argentum celeste pectoribus miscuit, continere debere terrenum aurum et argentum, neque oculos habere oporteret, neque sequi opes. » Alludit ad Iob. xxviii, 15: « Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus, » nec sapphirus, nec topazius, nec Indice colore cæteraque, quæ subdit: quare stellarum vox est illa apud Horatium, lib. I, epist. 1:

O cives, cives, querenda pecunia primum,  
Virtus post numerosa,

Pro pretiosum, græce est, *τίμιον*, nonnulli legunt *τιμωτός*, id est honorarium: sunt qui legunt *τιμωτός*, id est *τίμιον*, in honorabilem, despectum, quo velit significare quemvis lapidem pretiosum sine honore, ac sine pretio esse, si cum sapientia comparetur; unde sic legunt, non comparavi ei lapidem, tanquam despectui habitum præ sapientia; sed communis lectio habet, *τίμιον*, id est pretiosum. Huc faciunt duæ Christi parabola, prior de thesauro abscondito in agro, Matth. xiii, 44, « quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum; » et de pretiosa margarita inventa ibidem, vers. 46, quam ut compararet industrius negotiator, « abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam: » nam sapientia thesaurus est et margarita unica. Quod si « in Christo sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi, » Coloss. ii, 3, jure optimo Apostolus ad Philip. iii, 8: « Existimo, ait, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arborum ut stercoira, ut Christum lucrificavi. »

10. SUPER SALUTEM ET SPECIEM (græce, super sa-

nitatem et formam, sive pulchritudinem) DILEXI ILLAM, ET PROPOSI PRO LUCE HABERE ILLAM: QUONIAM INEXSTINGIBILE EST LUMEN ILLIUS. — « Proposui pro luce habere illam, » alii vertunt, præ luce, q. d. Anteposui illam luci; hinc græce est *ἔμπροσθεν*, id est *elegi*; unde Vatablus, *usurpavit quæ luci præoptavit, vel præelegi, ut cuius splendor superimi non possit*. Noster optius vertit, *proposui pro luce*: græcum enim *ἔμπροσθεν*, verti potest, pro luce, vice lucis, instar lucis; secundo, super lucem, præ luce: duo enim significat Salomon, primo, sapientiam se præposuisse luci; secundo, se vice lucis non abo lumine usurum quam ipsa sapientia. Sapientia enim est lux lucidissima, quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, et rite peragenda: lucem hic tum externam solis, tum internam, puta lumen oculorum, accipe, q. d. Sapientiam chariorum habui, non tantum luce solis, sed et meis oculis, et luce visusque oculorum, in rebus agendis statui non alio uti visui, non aliis oculis, nisi ipsis sapientie, hæc enim per omnes rerum tenebras vitam ostendit, secureque deducit ad metam vite æternæ. Huc usque sapientiam præposuit bonis externis, sive fortunæ, uti sunt aurum et argentum; nunc præponit eandem bonis internis, uti sunt sanitas sive valetudo, forma sive pulchritudo, visus et intuitus lucis; quibus tantum sapientia præstat, quantum corpori animus, cuius ipsa est sanitas, pulchritudo et visus.

SUPER SALUTEM ET SPECIEM DILEXI ILLAM. — *Primo* plane, quasi dicat: Magis amavi et oplavi sapientiam, quam corporis sanitatem, robur et decorem, quia sapientia, utpote spiritalis et dos nobilissima, præstat omni rei et doti corporeæ. Inuit sapientes sepe minus polleere robore corporis, et robustos admodum minus polle sapientia: sic enim Deus dona sua distribu- et parit solet. Adde corpus alias dispositiones contingere ad robur, et subinde contrarias ad sapientiam requiri; unde illud:

Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Secundo, Petrus Blesensis, epist. 81, censet hie sapientie studiosos invitari ad laborem et studium sapientie, etiam cum jactura sanitatis et formæ, quod par sit rem tartam, quanta est sapientia, quavis corporis jactura emi: Hinc videmus studiosos laborare stomacho, capite, phlegmate, ferique macilentos, valendinarios et decolores, adeoque brevis esse ævi: Cædendo enim exhauriant optimos spiritus, et calorem a stomacho advocat ad cerebrum, ex quo oritur stomachi indigestio, cruditas, flatus, phlegmata, vertigines, hemierania, etc. Sic Aristoteles naturali stomachi infirmitate laborabat, eamque calidi olei utriusque ventri admoto levare solebat, ait Ammianus lib. XVI, ut mirum sit eum ad setatem 63 annorum pervenisse, et assiduos dolores tandem tanta animi virtute sustentasse: « fuit enim in locu-

branco studio infatigabilis, ait Laertius in ejus Vita, qui cum cubitum se conferret, in manus globum aneum capiebat, ut cadentis in pelvum globi sono excitaretur. » Aristotelem, inquit Censorinus De die natali ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasque morborum corporis offensiones virtute animi diu sustentasse, ut magis mirum sit ad annos sexaginta tres eum vitam protulisse, quam ultra non protulisse. » Blesensem sequitur Pineda, lib. III De Reb. Salomonis, cap. iii, num. 8: Sapientia, inquit, est mortis et mortalitatis antidotum, Sapient. viii, 17. Quare quamvis corporis vires sapientie studio atque vigiliis extenuentur, et ad mortem celeri gradu sapientia contendat, ex altera tamen parte nominis immortalitate quæ sapienti debetur, vite brevioris jactura abunde compensatur: propterea enim addidit: « Super salutem et speciem dilexi illam, » Sap. vii, 10. Item, lib. III, cap. x, num. 5: Salomon, ait, exercuit eum labore, attentione et mentis intentione scientias sine labore acceptas; aliquando etiam cum defatigatione quadam virium corporis, stomachi languore, capitisque lassitudine aliqua. Prætervehuntur aliquando ultra modum sapientium vigiliæ et lucubrationes, ut eum ipso Salomone cogantur dicere: « Super salutem et speciem dilexi sapientiam, » et ne sapientie desint, desunt valetudini curandæ, desunt sibi ipsis, ac vite necessariis desunt. Verum enimvero moderato adhibenda est studio, quam ipsa sapientia prescribit, ne vires corporis laedantur, itaque usus et exercitium sapientie intercedat, juxta illud:

Omnibus in rebus modus est pulcherrima virtus.

Et illud:

Omnis satietas mala, studiorum autem pessima.

Tertio, idem Pineda, lib. III, cap. iii, num. 8, censet hic respici ad orationem Salomonis, quæ a Deo non postulavit sanitatem, nec pulchritudinem aut pulchras uxores, sed sapientiam, III Reg. cap. iii, vers. 11.

Hoc facit illustre exemplum in Hermanno, cui a contractis membris cognomen fuit Contractus, qui cum esset filius Comitis, monasticen professus in Ordine S. Benedicti, exiit petiit a B. Virgine, cui erat addictissimus, sanitatem sibi restitui; quæ per ritum apparens illi hoc responsum dedit: « Fili charissime, tuis precibus sedulus invitata duorum tibi optionem impetravi; elige quod volueris. Contractus permanebis, et omnium Scripturarum scientiam accipies, tam divinarum, quam humanarum; vel sanitatem corporis accipies, idiota permanebis, et ecclesiasticum cultudinem ascendes: jam alterum ex his, quod volueris elige, quoniam ambo habere non poteris. » Hermannus autem, considerans quod Regina celi singulariter suadebat, elegit remanere contractus, et scientiam Scripturarum acci-

pere, magis quam corporis sanitatem: hinc doctrina possidere: erat enim jam tunc, et met rydis et idiota, devotus tamen et Scripturarum amore accensus. Ex illo tempore in omni doctrina ultra omnes contemporaneos suos proficiens, excellentissime opinionis vir factus est; trium linguarum, latinæ scilicet, græcæ et arabicæ, ita peritus extitit, ac si natus in eis fuisset: floruit anno Domini 1060, auctorque fuit hymni Salve Regina, et aliorum plurium. Porro agritudo illi patientie et sanctitatis fuit materia et stimulus: ita Trithemius, De Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, lib. II, cap. lxxxiv. Porro quam parvi faciendi sui sanitas et forma præ sapientia, docet S. Augustinus, serm. 42 De verbis Domini: « Nam salus hominis quæ reddita est corpori, quanti temporis fuit? Quæ est enim vita vestra, dicit Scriptura, Job iv, 15: Vapor, inquit, ad modicum apparens, desineps exterminabitur. Quod ergo illius hominis corpori reddita est sanitas, reddita est nonnulla diuturnitas vaporis. Non itaque pro magno illud habendum est; vana salus hominis. Et recolite, fratres, illud prophetiarum et evangelicum, Isai. xl, 6: Omnis caro fœvum, et omnis honor carnis ut flos fœni; fœvum enim, flos decidit: verbum Domini manet in æternum. » Et post pauca: « Totâ quippe ista vita intelligentibus tribulatio est: sunt enim duo tortores anime non simul torquentes, sed cruciatus alternantes: horum duorum tortorum nomina sunt timor et dolor: quando tibi bene est, times; quando male, doles: seculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas. » Utrumque docet et præstat sapientia: sic gentiles Palladem deam sapientie præferbant Veneri deæ pulchritudinis, et Hygiei, sive Valentie, deæ sanitatis.

ET PROPOSI (græce, *ἔμπροσθεν*, id est *judicavi, decrevi*) PRO LUCE HABERE ILLAM. — Jam dedi hujus loci sensum, dixique præferri hie sapientiam luci, tum solis, tum oculorum. Quid charius et lucidius oculis? quid sole, qui est cor, mens et oculus mundi? nisi quæ sapientia, cuius aureum jubar solari antecellit; illam ergo prædilexi et prælati rebus omnibus, quæ lucent et radiant oculis mortalium. Addit Pineda, lib. III De Reb. Salomonis, cap. iv, num. 12, et ex eo Cervantius, per lucem accipi ipsos sapientie oculos pulcherrimos: Salomon, inquit, sapientiam querit sibi sponsam, asserens: « Amator factus sum formæ illius, » sed illius « luminibus potissimum captus: nam proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen ejus. Illius lumina mirabiliter radiant, imo tota ipsa « candor (radius) est æternæ lucis, » Sap. vii, 26, imo lumen jucundissimum et utilissimum: nam et illa est speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, quæ a poetis *cori* ac *Jovis oculi* dicuntur, lucique comparata invenitur prior, illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia. Hujus rei symbolo legimus, Gen. xxi, 17.

captum Jacob non tantum decora facie, sed venusto aspectu Rachelis, quam non solum commendabat pulchritudo eximia, sed lumina oculorum, quorum maxima ratio ad speciei illustrationem accidit ex oppositione, velut umbrae lux lippientibus oculis. Illorum maxima est vis, *Cant. vi, 4*: «Averte te, oculos tuos a me, quia ipsi me avolare (hebraice, *extollis, superbare*) fecerunt.» Sapientia ergo est Lucina et lampas, in cursu hujus vite illuminatrix, vivificatrix et victrix.

Symbolice idem Pineda, *ibid.* cap. III, num. 8, per lucem accipit regnum; hujus enim symbolum est lucerna et lux, quia olim regibus preferebatur ignis icidus, uti ostendi *Jerem. I, 13, q. d.* Proposui pro luce, id est pro regno, habere illam; «quoniam inextinguibile,» id est perpetuum «est lumen,» id est regnum, et regis splendor «illius.»

QUONIAM INEXTINGUIBILE EST LUMEN ILLIUS. — Græce, *ὅτι ἀσβήτων ἐστὶν τὸ φῶς αὐτοῦ*, id est quia insomnis, pervigil, irrequietus est fulgor sive splendor, qui ex eo, scilicet procedit et profuit; Cervantius, *immortale, quod ex hac est jubar*; Valerius, *splendor ejus suppressi non potest*; alii, *effulgentia ejus nullam subit tenebrarum vicissitudinem*. Sensus est, *q. d.* Proposui sapientiam habere pro luce, quia omnis alia lux solis, lune, diei, fundit lumen, sed quod vespere exstinguitur, deficit, et quasi dormit per noctem usque ad mane, quo rursus sol et dies oritur; at sapientie lux fundit lumen quod nunquam exstinguitur, deficit aut dormit, sed pervigil et luminosum semper perdurat; cum ex adverso lux oculorum pariter cum homine noctu sopiatur et dormiat, lux quoque solis vespere occidat, et, ut vulgus loquitur, eat cubitum et dormitum; occubitus enim solis plebeilis videtur esse ejusdem decubitus, quies et somnus, juxta illud Virgilii, *IV Æneid.*:

Tibi non crecum linquens aurora cubile.

lla a Castro: Hinc luci, inquit, ex sole mananti noctium successione accidit quies et nox, ut ait versu ultimo hujus capituli, in qua nocte quiescit homo a labore et somnum capit; at lumen sapientie nullo somno intermittit, nunquam quiescit, semper in vigilia est, et in continuum laborem inducit: nam diu nocturque per somnum et per vigiliam ita affulgat homini, ut eum ad laborandum in animi cultura excitet et accendat; et hac ratione lumen sapientie dicitur inextinguibile, quia ubi est, nunquam non illuminat, quemadmodum de amore dixit S. Gregorius, *hom. 30 in Evang.*, quod nunquam sit otiosus, sed magna operetur, si est, quia semper urget ad operandum. Causa a priori est, quod sapientia sit radius divine lucis, oriaturque et manet a Deo, «apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio,» *Jacob. I, 19*: vide ibi dicta. Igitur lumen sapientie est inextinguibile, primo, quia in se nunquam exstinguitur, deficit

aut variatur, sed idem semper et æquale sui generis simile perseverat. *Secundo*, quia semper hominem illuminat et inflammat, instigatque ad bona opera, ut etiam noctu legem Dei et verba sacre Scripture ruminet, meditetur, ac de Deo cogitet, cumque adoret et invocet, juxta illud S. Hieronymi ad *Eustochium*: «Esto cicada nocturnum; et illud Psalms, *Psalms. I, 2*: «In lege ejus meditabitur die ac nocte;» et illud Moysi, *Deuter. vi, 7*: «Meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque conversans:» vide ibi dicta; et illud, *Precebr. xxxi, 18*, de muliere sapienti et forti: «Non exstinguitur in nocte lucerna ejus.»

Tales fuere essei sub S. Marco, de quibus Philo, *lib. De Therapeutis*: «Nulla pene, inquit, alia inter dormiendum offerebant se illis imaginibus, nisi rerum celestium, quorum elapsu in somnis verba juniores vigilantibus attentissimi, scriptis utpote pretiosissima, excipiebant. Tales quoque fuere acemetæ, id est religiosi non dormientes, sed jugiter psallentes et meditates; quales fuere studite, quorum preses fuit magnus ille Theodorus Studita, a jugi meditatione et studio ita cognominati, de quibus alibi dixi. Apud Græcos certamen erat cursus, in quo qui decurrendo lumen lampadis accensum servabat, vincebat; qui vero exstinguebat, vincebatur. Audi Pausaniam in *Atticis*: «Ara est, in qua homines in urbem accensas lampades præferentes decurrunt. In eo autem certamen est, ut accensum tenent oportet usque ad ultimum vite diem: nam virgines sapientes oleum habentes, eoque lampades accensas foventes, admisse sunt ad nuptias celestes; eo vero carentes, et lampades habentes exstinctas, ab iis exclusæ fuerunt, *Matth. xxv, 7*.

11. VENERUNT AUTEM MIHI OMNIA BONA PARTER CUM ILLA, ET INNUMERABILIS HONESTAS PER MANUS ILLIUS. — «Omnia bona» sunt opes, fama, gloria, regnum, victoria, etc.; *innumerabilis*, id est plurima: est hyperbole, nam omnes opes Salomonis, licet plurimæ, absolute tamen numerari poterant, utpote finite. Ne quis Salomonem feminitalis accuset, quod sapientiam cæteris bonis prætulit, eamque in epousam sibi delegerit, ostendit eam non indotatam ad se venisse, sed pro dote attulisse bona omnia: id ita repisa accidisse patet *III Reg. III, 11*, ubi Deus ad Salomonem: «Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapientem et intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc

que non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.» Unde Christus, *Matth. vi*, adducto exemplo ex gloria Salomonis, conclusit versu 33: «Querite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.» *Adjicientur* dixit, non sine emphasi, quia exteriora bona, etiam non petentibus, et suis quoque inimicis largitur, quasi adjectanea, imo rejectanea: sic cum Sapientia *invenita*, pula cum Filio suo Deus nobis omnia donavit, *Rom. viii, 32*; cum sapientia vero *creata*, id est cum gratia et charitate, reliqua nobis proveniunt virtutes, velut proprietates ex essentia et natura gratie promanantes; externa quoque bona, quatenus prosunt ad gratiam et salutem.

HONESTAS, — id est virtus, quæ spectat bonum honestum, ac præsertim modestia, aiunt S. Bonaventura et Dionysius; verum græce est *ἀσβεία*, id est *opes, divitiæ*; hæ enim in Scriptura vocantur *honestas*, quia possidentem faciunt honestum et honorabilem ut ab omnibus colatur; sic *honorare vel honestari*, significat *ditare*, ut *I Timoth. v, 17*: «Qui bene presunt presbyteri, duplici honore,» id est *stipendio*, «digni habeantur;» et vers. 3: «Viduas honora (subsenta), quæ vere viduæ sunt.» Sic *honestas* pro opibus, et *honestare* pro divitem facere, sumitur hoc cap. vers. 13, et cap. viii, vers. 18, et cap. x, 10, et *Eccli. xi, 14* et 23: est ergo metalepsis; divitias enim consequitur honestas, victus, vestitus et familie. Unde et prisci latini *honestum* sumebant pro divite, ut docet Asconius in *III, Verrin.*, et Ulpianus, *lib. LII De Partis*, Titium *honestum* opponit Titio *egeno*: «Cum, ait, Titio *honesto* pecuniam credere vellem, subieci tibi alium Titium *egenum*, quasi ille esset locuples.»

PER MANUS ILLIUS, — græce, *ἐν χειρὶ αὐτοῦ*, id est primo, in ejus arbitrio et potestate, quasi ab ea manans et pendens; *secundo*, *q. d.* Liberaliter per manus illius erogabatur: manus enim symbolum sunt primo, potestatis et domini. *Secundo*, liberalitatis et beneficentiae, unde *donum* græce dicitur *δῶρον*, quæ vox *palmam* significat, sive manum explicatam et extentam, qua dona erogantur; unde Plinius, *lib. XXXV, cap. xiv*: «Græci antiqui, ait, *δῶρον* palmam vocabant, et ideo *δῶρον* munera, quia manu darentur.» *Tertio*, laboris et operationis; unde per manus sapientie intulit eam non esse otiosam, sed operosam; nec otiosis, sed operosis suas opes conferre. *Quarto* insuper, contentionis et pugnae, ut notet sapientiam magnum debere cum insipientia et concupiscentia subire luctam cum eaque crebro manus conserere, ut eam subigat et obsequentem reddat; hinc Plutus, id est deus divitiarum præses, plugebatur cum signo Fortune et Minervæ (quæ dea erat sapientiae) Ergane, id est *operatrici*, inquit Plutarchus, Hesiodus, Aristophanes et alii. Unde Pausanias, *lib. I et VI*, qui est

*Eliac*, ait: «In arce Minervæ fanum est, signumque auro et ebore fabricatum. Phidias aiant opus fuisse; insisit Deo cassidi gallinaceus, quod opinor, hæc est avis omnium pugnacissima, vel fortasse, quod Minerva cognomento Ergane sacra est.» Gallus pugnat et pervigil resistit capiti Minervæ, ut notet sapientiam et opes, non otio, sed assidua vigilia, labore et contentione comparari; Minervæ ergo, sive Palladi, armatae celi terraque bona, perinde ac duæ milles subdantur. Huc facit illud Horatii, *lib. I, epist. 1*:

Ad summam sapiens uno minor est Jove, dives,  
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Hinc Salomon, post collatam sibi sapientiam, mirabiliter cepit discedere: per eam enim naves misit in Ophir, quæ auri copiam ei afferrebant, multaque alia solerter adinvent, quibus immensas opes et gloriam sibi comparavit, uti ostendit Pineda, *lib. IV De Rebus Salomon.* cap. IV.

12. ET LEVATUS SUM IN OMNIBUS: QUONIAM ANTECEDEBAT ME ISTA SAPIENTIA, — quasi dux deducens me ad omnia bona jam dicta; unde græce est *ἡγήσατο*, id est *dux* est sapientia, *q. d.* Quoniam sapientia dux est, auctor, caput, fons et mater omnium bonorum: quia Deus scilicet, auctor et amator sapientie, ea omnia large elargitur sapientie studiosis. Igitur miris apte ad hunc locum Holcot exponit, *q. d.* Sapientia quasi dux mihi præibat in omni negotio per sapiens providumque consilium, ut omnia præcedenter agerem et transigerem: quia hæc de re hic non agitur. Sensus ergo est quem dedi, sic enim se explicat hemistichio sequenti dicens: «Et ignorabam quoniam horum omnium mater est:» perperam Complutenses pro *horum* legunt, *bonorum*, et alii *honorum*. Pro *mater* græce est *γενίτις*, id est *genitrix*; alii legunt *γενία*, id est *generatio*, id est generatrix. Sic Philo, *lib. De Profugis*, asserit sapientiam esse filiam Dei, sed merito *patram* dici posse (symbolice scilicet et emblematico), et esto nomen habeat femininum, habere tamen virtutem masculam, imo vires et actiones virorum perfectissimorum. Sic Sapientia de se ait, *Eccli. xiv, 24*: «Ego mater pulcherræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei:» vide ibi dicta. Porro quod ait *ignorabam*, intelligo antiquam eam ejusque dotes plane perspectas habere, et experientia cognovissem; at ubi ea perspexi et expertus didici, plana agnovi omnium bonorum matrem esse sapientiam.

13. QUAM SINE FICTIOE (græce, *ἀδολος*, id est *sine dolo*) DIDICI, ET SINE INVIDIA (græce, *ἄφθονος*) QUOD PER HOMIOTOPON PULCHRE RESPONDIT Εἰς ἄδολος COMMUNIO; ET HONESTATE ILLUS NON ASCONDIT. — Fictio hæc, sine dolo consistit primo, in eo, quod quis sapientiam non sincere propter ipsam, puta ex amore sapientie, sed per aliud querat et discat, puta ut per

honores, status ~~comparatur~~: sicut Simon Magus fide et dolose voluit emere Spiritum Sanctum, qui est auctor sapientiae, non ut eo sanctificaretur, sed ut per eum acciperet potestatem faciendi miracula, ex eaque Magi nomen apud homines consequeretur, *Aclor. viii. 19.* Sensus ergo est, *g. d.* Ego Salomon quesivi et didici sapientiam, tum a matre et patre meo, tum a Nathan propheta, tum maxime a Deo, qui mihi illam infudit; quesivi eam, inquam, non fide, sed sincere puraque intentione, et recto fine, quem ipsa poscit, scilicet ut per eam recte et sancte viverem, utque eamdem alios docerem; unde sine invidia large et liberaliter eam quibuslibet communico, tum per vocem, tum per haec scripta mea; et « honestatem (græce *νῆστερα*, id est *divitias* ejus a me per experientiam compertas, ac paulo ante a me recensitas) non abscondo, » sed ubique prædico et propalo: nam, ut dixit cap. i, vers. 5: « Spiritus Sanctus disciplina effugiet fictum: » vide ibi dicta. *Secundo*, nonnulli non incongrue *τὸ ἄδδεις*, id est *sine fitione, sine dolo et fraude*, passive accipiunt, *g. d.* Non sum fraudatus opinione, quam de sapientia conceperam, quod bona omnia, quæ mihi promittebat, reipsa præstaret; unde Vatablus vertit, *hanc cetera frustratione didici*. Denique ex hoc loco demonstrat nossem fuisse publicum sapientiae professorem.

Moraliter hinc discere vere sapientem non esse invidum, nec arctum, sed liberaliter se suaque communicare et impendere in aliorum commodum et salutem, perinde ac Deus sua large omnibus imperit, ac sicut sol radios lucis suæ omnibus immittit: sic apostoli, ait S. Ireneus, lib. III, cap. xiv, nulli invidentes, quæ dicerant ipsi a Domino, ultro omnibus communicabant.

Sapienter S. Basilus, orat. 6 *De Instit. et admon.*: « Discendum est, inquit, absque ullo pudore, et docendum absque invidia; et si quid ab altero hauserimus, id ipsum non est celandum, sicut improbe mulieres solent dum spurios partus supponunt, sed grato animo dicti auctor prædicantur atque aperientis est. » Babanus Maurus et Alcuinus Flaccus magister Caroli Magni, Bedo discipuli, cum scholas Parisiis aperirent, omnes gratis docebant, itaque academia nobilissime et antiquissima initium dederunt, ut habet eorum *Vita*: idem facit Societas nostra, quæ ultro et gratis omnes docet omnia, quæ ad liberales artes et theologiam pertinent. Galenus, lib. I *Methodi* cap. i, assertit se vel unus studiosi gratia omnia dictorum scripturumque. Plato unus Aristotele discipulo contentus alacriter docebat, illoque presente etiam ceteri abessent, dicebat: « Auditorium est, » teste Laertio, Plutarcho et aliis. Plinius, lib. XXV, cap. i, et ii, laudat veteres, ut M. Catonem omnium bonarum artium magistrum, Orpheum, Musæum, Hesiodum, etc. qui ea quæ norant de viribus herbarum scripto

vulgarunt: « Nihil ergo, inquit, intentatum inexploratumque illis fuit, nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellet; at nos elaborata his abscondere atque suppressere cupimus, et fraudare vitam etiam alienis bonis. Ita certe reconduunt, qui pauca aliqua novere invidentes aliis, et neminem docere in auctoritatem scientiam est. » Ratio a priori est, quam dat S. Thomas in illud I *Corinth.* cap. iii: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* « Zelus, inquit, et contentio non habet locum, nisi in carnalibus hominibus, quia ipsi ad bona corporalia afficiuntur, quæ simul a pluribus integre possideri non possunt; et ideo propter hoc, quod aliquis bonum aliquod corporale possidet, alius impeditur a plena possessione illius; et ex hoc sequitur invidia, et per consequens contentio. Sed spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul a pluribus possideri possunt, et ideo bonum illius non est alterius impedimentum, et propter hoc in talibus, nec invidia, nec contentio locum habet. Unde Sapiens, cap. vii, ait: *Sine invidia communico*: » quod Deus his, qui libenter alios docent, doctrinam largitur communiter et adagat, juxta illud Christi, *Matth. xiii, 12*: « Qui enim habet (qui dato et habito utitur ad aliorum commodum), dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet (non utitur), et quod habet auferetur ab eo: » vide parabolam talentorum, ac præmia eorum qui ea erogaverunt, *ibid. cap. xxv, vers. 21*; hinc sapienter R. Ismael in *Pirke meah*, id est in *Sententis Patrum*, cap. iv: « Qui eo fine docet, inquit, ut alios postmodum doceat, illi Deus et discendi gratiam confert et docendi; et qui hoc animo docet, ut suos ipsius mores instruat, de illi Deus unde docet et doceat, et quod alios docuit, in opus et praxim redigat. »

Illustre exemplum est in S. Augustino, qui Florentinae offerens suam in docendi operam, *epist. cxxxii*: « Superest, inquit, ut promas ipsa, si quid ex me querendum putas. Aut enim scio, quod inquisieris, et non negabo; aut ita nescio, ut nullo fidei salutisque detrimento nesciam; et hoc etiam teipsam, si potuero, faciam reddita ratione secum; aut certe si nescio et tamen sciendum est, vel imperabo a Domino, ne tibi desinam, nam sæpe officium imperandi, meritum est accipiendi; vel ita tibi respondebo, ut noteris pro hac ipsa re, quam pariter nescimus, ad quem pulsare debeamus. » Et post nonnulla: « Equidem etiam his rebus, quas utomque scio, magis te cupio esse scientem, quam scientiæ nostre indigentem: neque enim, ut quod scimus doceamus, aliorum ignorantiam optare debemus. Multo quippe melius omnes sapere dociles Deo, quod utique in illa superna patria, cum in nobis completum fuerit, quod promissum est, perficeretur, ut non dicat homo proximo suo: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent eum, sicut scriptum est, a minore usque ad majorem eo-

rum. » Excellens hæc in re fuit Cosmas scholasticus, de quo ita scribit Joannes Moschus oculus testis in *Prato spiri.* cap. cxxix: « Erat, inquit, vir iste humilis, misericors, abstinens, virgo, quietus, sine ira, socialis, pergrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis utilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, et quod magnum haberet librorum copiam super omnes qui erant in Alexandria, eosque prompte ac libenter volentibus accommodaret. » Subdit deinde ejusdem vitam et virtutes: « Erat autem et nihil possidens: in tota namque domo ejus nihil vidisses aliud, quam libros, et scabella, et lectulum, et mensam. Licebat vero omnibus ingredi, et interrogare quæ ad utilitatem pertinerent, et legere. Dicitur autem singulis intrabam ad eum ipse, et, teste veritate, nunquam ad illum ingressus sum, quod ipsum aut legentem, aut scribentem contra Judæos, invenirem: magno enim fervebat zelo convertendi gentem illam ad veritatem. » Additque eum talem vitam constanter egisse per 33 annos. B. Philippus Nerius dicitabat servum Dei, solum proximum studiosum debere omnium horum esse virum, ut quolibet tempore cubile sui facultatem præbeat; idque ipse faciebat, eaque de causa adventantibus clavem cubiculi sui tradebat, ut sine pulso ad se ingredi possent, opis vel consilii petendi causa, quando et quoties liberet. Denique primos doctores sapientiae, qui eam studioso posteris tradiderant, et per multa sæcula propagarunt, fuisse Adam, Noe, Abraham, Joseph, Moscon, Davidem ostendit Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. xxvii.

14. INFENTUS (græce *ἀνεπίστος*, id est *indeficiens, inachustus*) ENIM THESAURUS EST HOMINIBUS. — Dat causam, cur sine invidia sapientiam ultro communicet, quod scilicet ejus thesaurus sit indeficiens, instar fontis vel putei perennis; unde quo plus aqua exhauritur vel effluit, eo plus succedit rursusque affluit: quare ne verearis, o doctor, alios docere, metuendo ne tua doctrina deficiat, vel tibi ipsi non sufficiat, quia docendo crescit tibi doctrina, tum ex ipso ejus usu et exercitio, tum ex Dei remuneratione et dono; sicut lux candelæ, si aliam et aliam accendat, non minuitur, sed augetur; et sicut oleum Eliæ quo in plura vasa effusum fuit, eo pariter magis fuit multiplicatum, III *Reg. xvii, 12*.

Quo qui usi sunt, PARTICIPES FACTI SUNT AMICITIA DEI, — græce *ἐπί τῶν ἑταίρων πόλις*, id est, *costruxerunt vel struxerunt ad Deum, vel cum Deo amicitiam*, arctam scilicet et strictam; Vatablus, *amicitiam cum Deo junxerunt*; Pagninus, *seposuerunt ad Deum amicitiam*. Alia est hæc ratio, cur sum sapientie thesaurum aliis libenter communicet, quod scilicet, qui eo utuntur in aliorum bonum docendo, consulendo, etc., propter insigne hanc charitatem, strictam cum Deo amicitiam inveniunt: Deus enim est primus sapientie doc-

tor, qui alios doctores sibi socios querit, ut eam in omnes dispergat; quare eos in suum consortium et amicitiam, imo in suum doctoratus officium gradumque associat: « divinarum enim operum divinissimum est, Deo in salute animarum cooperari, » ait S. Dionysius; atque angelorum munus est alios illuminare, purgare et perficere. Hinc patet, quod vera inter Deum et justum intercedat amicitia, quæ sita est in charitate: nam *primo*, per hanc firmus « divinae consortes nature, » II *Petr. i, 4*, ideoque quodammodo æquales Deo. *Secundo*, per hanc fit mutus amor, et mutua communicatio honorum inter Deum et justum. *Tertio*, per hanc singulariter justus amat Deum, et amatur a Deo, ideoque pure propter Deum, non propter utilitatem propriam. *Quarto*, per hanc anima intus unitur Deo, juxta illud, I *Cor. vi, 17*: « Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. » Ad veram enim amicitiam requiruntur et sufficienti hæc quatuor, scilicet æqualitas, mutua benevolentia, singularitas et unio: ita D. Thomas, II II, Q. XXIII, art. 1, et ibidem fusiis Franciscus Suarez, Gregorius de Valencia et alii.

PROPTER DISCIPLINAM (tradende et docende) DONA COMMENDATI, — græce *διὰ τῆς ἐκ παιδείας δωρεῆς κοινωρίας*, id est *propter ea, quæ ex disciplina promanant dona constituti, compositi, vel commendati*: per doctrinam enim et disciplinam auditorum ignorantia dispellitur, errores abiguntur, veritate mens imbuatur, vitia castigantur, virtutes inseruntur, gratia et salus æterna procurantur, quæ omnia doctores Deo, angelis et hominibus mirifice commendant: quocirca viri sapientes, amici, imo consultores et magistri fore regum et imperatorum, ut Seneca Neronis, Apollonius Ptolemæi Philadelphi, Lactantius Constantini, Alcuinus Caroli Magni. Alii per *dona disciplina* accipiunt bona omnia, quæ paulo ante sapientiam comitari et ab ea proficere asserunt; hæc enim sapientem apud omnes commendat atque amabilem pariter et admirabilem efficiunt. Proprie *κοινωρίας*, quod Noster vertit, *commendati*, idem est, inquit Cervantius, *quod cum Deo sibi amicissimo stantes*, consistentes, excitati, erecti ex terre scilicet pulvere, collocati, constituti secundum Deum, stabili, firmati, alias ex sese ruituri in barathra errorum: sic Plato in *Timæo*, et Polybius, lib. II. Præterea studiosi excepti, cæcili, in cætu congressum, colloquia et contubernium admitti, nempe ipsius Dei, quocum amoris vinculo adstricti; quæ officia præstamus his, quos habemus commendatos. Denique *κοινωρίας* sunt *coherentes*, conspirantes, concordæ et consonantes, certe una cum Deo Deique gratia, atque dono ipsius, eos in tantum consortis dignitatis eventus, reddentisque consortes divinae naturæ, et pulcherrima bonorum harmonia suavissimos: nam *systema* apud musicos est constitutum et planum modulationis corpus, ex consonantiarum